



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 134. Dicentes prophetiza. v. 64.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

concionēs, dicta, facta & exempla nequiter & petulanter adducendo verba Sacrae scripturae interpretantes, & sibi peruerse & ipsi applicantes, excellere vnus præ alio gestiebat, interrogabant eum de doctrina sua imprimis quomodo corpus eius esset panis de discipulis, de patre & matre eius, de genealogia, de familia, de diuitijs: & quia se diceret Prophetam, scire deberet vbi essent absconditi thesauri pecuniarum, vt eos reuelaret Principibus, & sic se liberare posset ab hac dira sua captiuitate & morte, quam ei inferre tentarent; imo si sibi eosdem reuelaret, se eum velle sinere elabi, Talia enim irritoriè effutisse Iudæos, & ministros eorum insinuat Prophetam dicens: *Mittamus lignum in panem eius.*

Hic cogita anima Christi fidelis, quam acer dolor penetraverit afflictissimum cor Iesu, cum sublati parumper luidis oculis & circumspiciens, num quis in tanta turba foret, qui olim affectas aliquo beneficio, vel audita ipsius doctrina saltem compareretur sibi, vel verbo defenderet, aut responderet iniquorum petitionibus, & non est inuentus ne vnus,

§. 134. *Dicentes prophetiza. v. 64.*

Accipio hoc verbum quasi dixerit, jam est tempus prophetizandi, si quid potes, igitur in hac arte, age, exere vim; materiam tibi damus, in qua clarè videre licebit an fallas.

Consolamini, consolamini, omnes qui timetis Deum, vt seruitus ei, si vobis quoque accidat pati opprobria, ecce habetis, in quos vos solari possitis, grauiora Dominus vester tulit, nolite deficere animis. Vicit ille & vos vincetis cum eo.

§. 135. *Quis est, qui te percussit? v. 64.*

Fatuè hi Iurcones iubebant Prophetam edicere, quis ipsum percussisset cum percutientem oculis conspicerent, aut ipsimet percuterent. Optimè siluit Christus ad huiusmodi stulta postulata, nam prophetate est abscondita reuelare, maxime quæ lumine naturæ nequeunt penetrari.

O Deus, da mihi gratiam, vt quando responsa illusoriè, ex me vel alio viro bono postulantur, ea tuo exemplo docti prætermittamus, iuxta monitum Salomonis, tibi enim est tempus silendi, quando non est bona ratio loquendi.

§. 136.